Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26504
Copyright: Admont, Benediktinerstift

reliquum persoluendum. Verum hec futura satis scio. Te ti-
gnoro. Et nos deinceps ad cetera precepta transeamus. id
quod libentissime faciemus. tue uoluntati rectissime
morigerentes. Incipit Liber tercius.

Ad omnem iudicialem causam quemadmodum conueniret inuen-
tionem rerum accommodari. Nec eam rationem rerum inueniendarum
que pertinebant ad causas deliberatiuas et demonstratiuas
in hunc librum transtulimus. ut omnis inueniendi preceptio tibi
quam primum persolueretur. Reliquae IIII. partes erant artifi-
cii; de tribus partibus in hoc libro dictum est, dispositione, pronuntia-
tione, memoria. De elocutione quia plura dicenda ui-
debantur, in IIII. libro conscribere maluimus. quem ut arbi-
tror tibi librum celeriter absolutum mittemus. ne quid tibi
rethorice artis deesse possit. Interea prima queque et nobiscum
cum uoles et interdum sine nobis legendo consequere. ne quid im-
pediare quin ad hanc utilitatem pariter nobiscum progredi
possis. Nunc tu fac attentum te prebeas. nos proficisci ad in-
stituta pergemus. Deliberationes partim sunt eiusmodi ut queratur
utrum potius sit faciendum. partim eiusmodi ut quid potissi-
mum sit faciendum consideretur. Utrum potius, hoc modo. Kartago
tollenda an relinquenda uideatur. Quid potissimum, hoc
pacto. ut si Hanibal consultet. cum ex Italia Cartaginem ac-
cersatur. an in Italia permaneat. an domum redeat.
an in Egyptum profectus occupet Alexandriam. Item
deliberationes partim ipse propter se consultande sunt. ut si deliberet